

quæ sunt in intellectu per sui essentiam, non autem sensus, vel imaginatio. Non autem sequitur propter hoc quod intellectus nihil intelligat nisi per essentiam suam, & quod non intelligat per similitudines aliquas.

Ad septimum dicendum, quod in omnibus potentiis ad invicem ordinatis hoc est necessarium ut ubi terminatur actus prioris potentie, incipiat actus secundæ: unde cum voluntas præsupponat intellectum, voluntas fertur in illud in quod intellectus terminatur. Intellectus autem quamvis Deum in statu vitæ non nisi per effectus cognoscat, tamen ejus operatio in ipsum Deum terminatur secundum quantumcumque cognitionem quam de ipso accipit; & ideo affectus non indiget ad hoc quod referatur in Deum quod redeat in illa media; sed potest statim in ipsum Deum ferri, in quem intellectus devenit.

Ad octavum dicendum, quod etiam quando aliquid videtur per similitudinem alterius rei, potest contingere quod videns semper medium, cogitet de re immediate sine hoc quod ejus cognitio converatur ad aliquam aliam rem: quia in illud medium non convertitur ut est res quædam, sed ut imago illius rei quæ per ipsam cognoscitur. Idem autem est motus intellectus in imaginem, in quantum est imago, & in imaginatum; quamvis alius motus sit intellectus in imaginem, in quantum est res quædam, & in id cuius est imago: & ideo quando per similitudinem creaturæ quam intellectus habet penes se, non convertitur in creaturam ut est res quædam, sed solum ut est similitudo rei, tunc immediate de Deo cogitat, quamvis non immediate Deum videat.

Ad nonum dicendum, quod, sicut dicit Glossa super illud Psalm. xi. *Diminutæ sunt veritates &c.* ab una veritate increata resultant multæ veritates in animabus nostris, sicut ab una facie similitudines multæ in speculo fracto, sive in multis speculis: & hæc veritas in intellectu nostro resultans primo & principaliter consistit in primis principiis per se notis: & ideo quando per ea de omnibus aliis judicamus, nostrum iudicium est secundum primam veritatem, cujus est dictorum principiorum veritas similitudo.

Ad decimum dicendum, quod dupliciter cognoscitur aliquid ab altero. Uno modo sicut ex cujus cognitione devenitur in cognitionem alterius; & sic illud quo cognoscitur, est magis notum, ut principia conclusionibus. Alio modo sicut perficiens cognoscentem ad cognoscendum; sive sit forma, sicut species lapidis in oculo perficit oculum ad videndum; sive principium effectivum hujus formæ, sicut dicitur quod oculus videt per solem: & hoc modo id quo aliquid cognoscitur, non oportet quod sit magis notum, immo possibile est quod non cognoscatur: cognoscitur enim per quamdam inflexionem intellectus ab objecto cognoscibili in id quod erat cognitionis principium. Sic autem in Deo omnia cognoscimus: & ideo ratio non sequitur.

Ad undecimum dicendum, quod verbum Augustini intelligendum est quantum ad hoc quod nulla creatura interponitur inter mentem nostram & Deum, qua mediante mens nostra à Deo procedat in esse, vel qua mediante formetur per gratiam, vel per gloriam, sicut efficiente medio. Nihil tamen prohibet quin aliqua forma creata mediante mens nostra à Deo formetur, sicut gratiæ, vel charitatis habitus, & sic per speciem creatam formatur mens viatoris ad videndum Deum.

(1) *Al.* non dominaretur.

Ad duodecimum dicendum, quod Avempace posuit quod intelligere essentias separatarum substantiarum poterat provenire homini per scientias speculative, quas in hac vita addiscimus. Sed hanc positionem improbat Commentator in III. de Anima com. xxxvi. ex hoc quod adhuc non sunt inventa aliqua principia quibus ad hoc perveniri possit: quod non videtur esse probabile, si ad hoc per principia scientiarum speculative perveniri posset, & præcipue cum omnis humana cognitio ad illam ordinetur: non enim esset probabile quod species humana deficeret à perfectione naturali totaliter. Et ideo dicendum, quod prædicta positio impossibilis est: cuius ratio est, quia scientiæ speculative procedunt ex principiis per se notis, quæ à sensu accipiuntur, ut dicitur in II. Posteriorum, cap. ult. & ideo per illa non possumus devenire in essentias illarum rerum quæ omnes formas sensibiles excedunt: unde per nullam scientiam speculative quam nunc requirimus, scimus quid est Deus, vel quid est Angelus, nisi sub quibusdam similitudinibus, magis cognoscetes de eis quid non sunt, quam quid sunt: & propter hoc dicit Philosophus in principio Metaph. quod scientia de Deo non est humana possessio, quia scilicet eam ad plenum habere non possumus.

Ad tertium decimum dicendum, quod corpus non potest esse corruptibile, nisi quando anima non plene corpori dominatur. Si enim plene ei (1) dominaretur, suam incorruptionem ei conferret: & ideo in statu corruptionis oportet quod anima cognoscat secundum exigentiam corporis, scilicet accipiendâ à sensibus. Tali autem modo cognitionis Deus per essentiam videri non potest, ut ex dictis patet; & secundum hoc status corruptionis repugnat visioni Dei per essentiam.

QUÆSTIO III.

Deinde quæritur de delectatione: & circa hoc quærentur quinque.

- Primo. Quid sit delectatio.
- Secundo. Quæ sit causa delectationis.
- Tertio. De comparatione delectationis ad tristitiam.
- Quarto. De bonitate, & malitia delectationis, & tristitiæ.
- Quinto. de comparatione delectationis spiritualis ad corporalem.

ARTICULUS I.

Utrum delectatio sit passio.

1. 2. quæst. xxxi. art. 1.

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod delectatio non sit passio. Omnis enim passio in motu consistit, ut dicitur in Lib. VI. principiorum, cap. ult. & X. Ethic. cap. 11. & 14. Sed delectatio non est motus, neque generatio aliqua, ut dicit Philosophus in VII. Ethic. cap. 11. & 111. Ergo delectatio non est passio.

2. Præterea. Operatio non est passio, sed magis actio, cum sit existentis in actu, secundum quod huiusmodi. Sed delectatio est quædam operationis perfectio, ut dicitur in X. Ethic. cap. 14. Ergo delectatio non est passio.

3. Præterea. In omni passione trahitur patiens ad

QUÆSTIO III.

ad terminos agentis: quia agens assimilatur sibi patiens. Sed causa delectationis est convenientia; & ita illud quod delectatur, in suis terminis manet. Ergo delectatio non est passio.

Sed contra. Gaudium, & delectatio sunt unius generis. Sed gaudium est passio: ponitur enim una de quatuor principalibus passionibus, ut patet IX. de Civit. Dei, cap. 14. Ergo delectatio est passio.

Præterea. Delectationis (1) objectum est bonum. Sed bonum est proprium objectum appetitus. Ergo delectatio ad appetitum pertinet. Sed alia quæ pertinent ad appetitum, sunt passiones, ut amor, ira, & huiusmodi. Ergo & delectatio est passio.

QUÆSTIUNCULA II.

1. **U**terius. Videtur quod in parte intellectiva animæ, & in aliis substantiis spiritualibus delectatio esse non possit. Quia, ut dicitur in VII. Physicorum, text. 20. omnis passio est in parte animæ sensitiva. Sed delectatio est passio, ut probatum est. Ergo non potest esse in parte intellectiva, nec in substantia aliqua spirituali.

2. Præterea. Avicenna dicit in VI. de naturalibus part. 11. cap. 111. quod subjectum delectationis est (2) species corporalis. Sed pars intellectiva non utitur aliquo corporali organo. Ergo in ea non potest esse aliqua delectatio.

3. Præterea. Illud quod est intellectivæ partis, non est commune nobis, & brutis. Sed delectatio est etiam in brutis. Ergo delectatio non est intellectivæ partis.

Sed contra est quod dicitur Lucæ xv. 10. *Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore penitentiam agente.*

Præterea. Philosophus dicit in VII. Ethic. c. ult. quod Deus semper una & simplici operatione gaudet. Ergo & eadem ratione in aliis substantiis spiritualibus potest esse delectatio.

QUÆSTIUNCULA III.

1. **U**terius. Videtur quod delectatio sit in tempore. Delectatio enim consequitur operationem nostram, ut dicitur in X. Ethic. cap. 14. vel vi. Sed operatio nostra est in tempore. Ergo & delectatio est in tempore.

2. Præterea. Omne illud in quo est accipere prius, & posterius, est in tempore. Sed in delectatione est accipere prius, & posterius, cum aliquis per longam horam possit continue delectari. Ergo videtur quod delectatio sit in tempore.

3. Præterea. Delectatio aliis passionibus condividitur. Sed aliæ passiones animæ sunt in tempore, ut ira, & huiusmodi. Ergo & delectatio.

Sed contra est quod Philosophus dicit in X. Ethic. ubi sup. *Secundum nullum tempus accipiet quis delectationem.*

Præterea. Delectatio sequitur apprehensionem convenientis. Sed visio, & aliæ apprehensiones non sunt in tempore, sed in instanti. Ergo & delectatio non mensuratur tempore.

QUÆSTIUNCULA IV.

1. **U**terius. Videtur quod delectatio, & gaudium sint penitus idem, & similiter exultatio, & lætitia,

(1) *Al.* deest objectum. (2) *Forte* species.

& jucunditas. Passiones enim, & habitus penes objecta distinguuntur. Sed gaudium, & delectatio, & alia dicta habent idem objectum, scilicet bonum convenientis. Ergo sunt idem.

2. Præterea. Ab eadem causa procedit idem effectus: quia idem semper natum est idem facere. Sed delectationis, & gaudii non potest poni nisi una & eadem causa, scilicet conjunctio convenientis. Ergo sunt idem.

3. Præterea. Unum uni opponitur. Sed delectationi, & gaudii opponitur unum, quod est tristitia. Ergo delectatio, & gaudium sunt unum omnino.

Sed contra est quod dicit Avicenna in VI. de naturalibus, part. 14. c. v. quod gaudium est species delectationis. Ergo non sunt omnino idem.

Præterea. Si gaudium, & delectatio essent omnino idem, ubicumque est delectatio, esset & gaudium. Hoc autem falsum est: quia in sensu dicitur esse delectatio, sed non gaudium, proprie loquendo. Ergo delectatio, & gaudium non sunt penitus idem.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quætionem, quod quælibet res quando perungit ad propriam perfectionem, consequitur stabilimentum, & vigorem, sicut corpora quando perveniunt ad terminos motus sui naturalis, quia in loco naturali conservantur. Cum autem motus penes terminos distinguatur, oportet quod diversum iudicium de perventione ad terminum complementi accipiatur secundum differentiam motus. Movetur autem aliquid ad suam perfectionem dupliciter. Uno modo per inclinationem naturalem, sicut lapis movetur deorsum; & hic motus non præexigit cognitionem in eo quod movetur, sed in alio quod est principium causans hanc inclinationem; & hic est motus naturalis. Alio modo per inclinationem, cujus principium est cognitio ejus quod movetur; & hæc quidem inclinatio dicitur appetitus animalis, aut intellectualis: unde sicut in terminatione motus naturalis est quædam vigoratio naturalis ejus quod movetur, ita in assecutione perfectionis in quam tendit appetitus animalis, est quædam quietatio ipsius, seu vigoratio ejus, præsupponens cognitionem perfectionis jam conjunctæ, sicut appetitus præsupponebat cognitionem perfectionis nondum habitæ; & talis vigor, sive quietatio appetitus, vocatur delectatio: unde etiam Commentator dicit in X. Ethic. quod delectatio est quædam superfloratio naturæ. Est autem duplex appetitus, sicut & cognitio, scilicet sensitivæ, & intellectivæ partis. Appetitus autem sensitivæ partis est virtus in organo corporali, & est immediatum principium corporalis motus: unde omnia quæ accidunt in appetitu sensitivo, sunt conjuncta cum quadam transmutatione corporali; quod non accidit in his quæ sunt in appetitu intellectivo, nisi passione large accepta, & improprie, ut in III. Lib. dist. xv. q. 11. art. 1. quæstionc. 2. in corp. dictum est: unde delectatio quæ est in appetitu sensitivo, quædam passio est; non autem delectatio quæ est in intellectu, nisi passione large accepta.

Ad primum ergo dicendum, quod non est inconvenientis motum per accidens terminari ad alium motum, quamvis hoc per se sit impossibile, ut probatur in V. Physic. text. 211. Delectatio ergo, in quantum huiusmodi, semper consistit in aliqua terminatio-

(1) *Al.* deest objectum. (2) *Forte* species.

tionem motus. Sed tamen quia in terminatione motus appetitivi consurgit quidam motus, in quo passio animalis consistit; ideo passionem inesse accidit delectationi; sed inest per se delectationi sensitivæ.

Ad secundum dicendum, quod quamvis operatio inquantum operatio, non sit passio, tamen potest habere passionem annexam, vel sicut præcedentem, vel sicut subsequentem: ut præcedentem quidem, sicut sentire habet annexam receptionem speciei sensibilis; & intelligere receptionem speciei intelligibilis; & sic quamvis delectatio sit circa operationem, tamen inquantum est delectatio sensitiva, est in passione quadam consistens.

Ad tertium dicendum, quod delectatus includitur terminis suæ perfectionis, ex qua delectatio consurgit: qui quidem termini sunt alieni hoc modo quo differt perfectio, & perfectibile; sunt autem proprii secundum quod perfectio est connaturalis perfectibili.

Alia duo concedimus quantum ad delectationem sensitivam.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod delectatio invenitur diversimode in Deo, Angelis, hominibus, & brutis, secundum quod diversimode se habent ad suas perfectiones, ex quarum conjunctione delectatio consurgit. Bruta enim non possunt pertinere ad altiorem perfectionem quam sit perfectio materialis: unde eam consequuntur materiali motu, qui scilicet est per organum corporale; & sic delectatio in eis consurgens est materialis passio. In Angelis vero, cum sint omnino à materia separati, non est accipere aliquam materiale perfectionem, sed immaterialem tantum: unde & immaterialiter eam consequuntur, & delectatio in eis consequens immaterialis est. Unde dicit Dionysius in fine cœlest. Hierar. *Cœlestes dispositiones*, idest Angeli, *acceptivæ non sunt omnino ejus quæ secundum nos est passibilis delectationis*. Homines vero ex spirituali, & materiali natura compositi sunt: & ideo quantum ad inferiorem partem, scilicet appetitum sensibilem, in quo cum brutis conveniunt, est delectatio materialis, in superiori vero appetitu, in quo cum Angelis conveniunt, habent delectationem immaterialem, ut cum gaudent de rebus spiritualibus, puta de contemplationibus, & aliis divinis donis: unde dicit Dionysius ibidem, quod *in participatione angelicæ delectationis sæpe facti sunt & viri Sancti per deificos divinarum illuminationum superadventus*. In omnibus autem prædictis perfectio est aliud ab eo quod perficitur: unde possibile est plures perfectiones uni inesse; & ideo tam in brutis quam in hominibus, & Angelis sunt multiplices delectationes eis supervenientes. Sed Deus non habet perfectionem quæ non sit idem quod ipse, cum ipse sit actus purus: & ideo unica tantum est ejus delectatio, non superveniens, sed essentialis: unde dicit Philosophus in VII. Ethic. c. ult. quod Deus semper una & simplici gaudet delectatione.

Ad primum ergo dicendum, quod in appetitu intellectivo nulla est passio, sed solum in appetitu sensitivo: quia quod patitur, ab alio movetur, & ducitur. Appetitus autem intellectivus, cum sit liber sui, non dicitur duci; sed appetitus sensitivus ducitur: unde in eo solo passio cadit; delectatio vero quæ

(3) *Al. deest nisi.* (4) *Al. ad hoc.*

est in appetitu intellectivo, non est passio, sed quædam operationis perfectio, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod Avicenna loquitur de delectatione sensitiva, quæ per organum completur corporale, sicut & cætera quæ ad sensitivam partem pertinent.

Ad tertium dicendum, quod illa quæ sunt communia nobis, & brutis secundum unam rationem non pertinent ad intellectivam partem; sed aliquid est commune nobis, & brutis, non secundum rationem eandem, quod in nobis ad intellectum pertinet, sicut cognitio, & alia hujusmodi, quæ secundum quamdam communitatem analogiæ extenduntur à Deo usque ad bruta animalia, ut cognitio, & etiam usque ad plantas, ut vita, & etiam usque ad lapides ut esse, ut patet per Dionysium de divin. Nom. (cap. iv. part. i.) & secundum hoc delectatio spiritualis habet communitatem cum delectatione quæ est in brutis.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod aliquid dicitur esse in tempore dupliciter. Uno modo per se, alio modo per accidens. Quia autem de ratione temporis est prius, & posterius, & illud per se inest alicui quod convenit ei secundum rationem suæ speciei; ideo illa per se in tempore sunt in quibus requiritur aliquid ad complementum speciei quod in futurum expectatur; & hoc modo motus est in tempore: non enim completur species motus in medio, nisi perveniat ad terminum: & similiter etiam quies est in tempore, eo quod quiescere est eodem modo se habere nunc ut prius, & sic de ratione quietis est ut aliquid in futurum expectetur. Per accidens vero aliquid in tempore esse dicitur ad cuius speciei complementum nihil requiritur quod in futurum expectetur, sicut esse hominem quod in uno instanti completur; sed est conjunctum motui, qui per se est in tempore, prout esse hominis variabile est. Delectatio autem ad complementum suæ speciei, & rationis nihil in futurum expectat: in instanti enim verum est dicere hominem delectari: unde non est in tempore (3) nisi per accidens, inquantum scilicet perfectio illa ex cuius conjunctione surgit delectatio, motui conjuncta est: & ideo si sit aliqua perfectio quam motus non contingat, talis delectatio non erit in tempore neque per se, neque per accidens; & hæc est spiritualis delectatio in Angelis. In brutis autem est delectatio existens in tempore per accidens, inquantum eorum perfectionibus motus directe conjungitur; sed in nobis delectatio non est in tempore quoad intellectivam partem etiam per accidens, nisi valde indirecte, inquantum scilicet operatio intellectus nostri conjungitur phantasmatibus. Tamen verum est nullam delectationem esse in tempore per se loquendo.

Ad primum ergo dicendum, quod delectatio immediate consequitur operationes animæ, quæ sunt apprehendere, & velle. Hæc autem operationes non sunt in tempore nisi per accidens: videre enim, & intelligere, & velle statim sunt.

Ad secundum dicendum, quod (4) hoc quod aliquis dicatur diutius alio delectari, non est nisi inquantum delectatio est in tempore per accidens, sicut etiam dicitur homo diutius videre, vel vivere.

Ad tertium dicendum, quod etiam aliæ animæ passionem quantum ad id quod est ex parte animæ non sunt in tempore nisi per accidens, inquantum scilicet

(3) *Al. deest nisi.* (4) *Al. ad hoc.*

eis conjungitur motus ex parte corporis; tamen delectatio magis habet rationem quod non sit in tempore quam aliæ passionem: quia aliæ passionem consistunt in appetitu secundum quod tendit in aliquid, sicut ira in vindictam, & odium in nocentium alterius; sed delectatio consistit in appetitu secundum quod ejus motus in suo appetibili adepto terminatur: omnis autem terminus motus non est in tempore, sed in instanti.

SOLUTIO IV.

Ad quartam quæstionem dicendum, quod delectatio, gaudium, lætitia, & omnia hujusmodi habent commune quod causantur ex conjunctione perfectionis appetitivæ. Perfectio autem aliqua potest alicui conjungi dupliciter: uno modo realiter, alio modo secundum comprehensionem ejus. Ex hoc autem quod perfectio realiter conjungitur, consurgit delectatio; ex hoc autem quod conjungitur secundum apprehensionem, surgit gaudium, & omnia alia: & propter hoc etiam gaudium est de spe futurorum, & memoria præteritorum; sed delectatur de præsentibus tantum: ideo etiam quia sensus exterior non apprehendit rem nisi præsentem, secundum eum non dicimur gaudere, sed delectari. Sensus autem interior apprehendit & rem præsentem, & absentem: unde secundum sensum interiore dicimur & delectari, & gaudere: delectari quidem de eo quod sibi sua perfectio conjungitur, sicut de ipsa sua operatione, de qua etiam & gaudet inquantum eam apprehendit; sed de operatione sensus exterioris, quæ sibi non conjungitur nisi apprehensione, potest quidem gaudere, sed non delectari, sicut sensus interior, vel intellectus non delectatur in comestione dulcium, sed potest gaudere de hoc inquantum hoc apprehendit ut conveniens exteriori sensui. Lætitia vero, & exultatio, & jucunditas exprimunt quosdam gaudii effectus. Lætitia quidem effectum interiore, secundum quod ipse affectus dilatatur quasi roboratus, & perfectus ex appetibilis conjunctione, unde & passio gaudii cum dilatatione cordis perficitur: dicitur enim lætitia quasi lætitia. Sed exultatio exprimit ulterius effectum gaudii exterioris prorumpentem in signum interioris gaudii: unde dicitur exultatio ex hoc quod interior gaudium ad exteriora prodit, quod ex magnitudine gaudii interioris contingit: unde dicit Cassiodorus super Psalm. ix. quod exultatio in magnis gaudiis dicitur. Jucunditas vero ulterius importat effectum gaudii exterioris prorumpentem, qui non solum demonstrat interius gaudium, sed etiam excitat aliquos ad gaudendum.

Ad primum ergo dicendum, quod gaudium, & delectatio licet habeant unum objectum secundum rem, non tamen est unum objectum secundum rationem. Bonum enim conjunctum realiter facit delectationem, sed conjunctum secundum apprehensionem facit gaudium. Lætitia vero, exultatio, & jucunditas sunt idem quod gaudium, nisi quod exprimunt quosdam gaudii effectus, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod idem est causa delectationis, & gaudii, sed non eodem ordine: primo enim & per se est causa delectationis, secundario vero est causa gaudii. Numquam enim (5) aliquid apprehensum facit gaudium, nisi inquantum æstimatur ut conjunctum, vel conjungibile secundum rem ad faciendum delectationem: & ideo conjunctio

In IV. Sent. Tom. V.

(5) *Al. ad aliquid.* (6) *Nicolai acedia.*

perfectionis primo & per se facit delectationem; sed inquantum apprehenditur ut delectationem faciens, facit gaudium etiam quando delectationem actualiter non causat: unde delectatio naturaliter prior est gaudio.

Ad tertium dicendum, quod gaudio opponitur directe tristitia; delectationi autem opponitur dolor, secundum quod delectatio est in sensu exteriori, & præcipue in tactu; sed secundum quod est interius, non habet aliud oppositum quam tristitiam; posset tamen habere, si esset nomen positum.

ARTICULUS II.

Utrum causa delectationis sit sola operatio connaturalis habitus non impeditur.

1. 2. q. xxxii. art. 1.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod causa delectationis non sit sola operatio connaturalis habitus non impeditur. Dicit enim Avicenna in Lib. de naturalibus, quod delectatio consurgit ex perceptione convenientis adjuncti. Sed non sola operatio est convenientis, sed multa alia. Ergo non sola operatio est delectationis causa.

2. Præterea. Idem non est contrariorum causa. Sed operatio aliquando est causa tristitiæ, etiam propria, & connaturalis: unde (6) acedia, quæ quædam tristitia est, etiam consurgit ex spiritualibus operibus. Ergo operatio non est propria delectationis causa.

3. Præterea. Si aliquid est causa alicujus, continuatio ejus causa est continuationis illius. Sed continuatio operationis non est causa continuationis delectationis; immo continuatio operationis frequenter parit fastidium, & operationes in sui novitate sunt magis delectabiles. Ergo operatio non est causa delectationis.

4. Præterea. Quies operationi opponitur. Sed quies delectationem causat. Ergo operatio non est propria causa delectationis.

5. Præterea. Senes sunt attentioris operationis quam juvenes. Sed in senibus est minus de delectatione quam in juvenibus, ut patet per Philosophum in VIII. Ethic. cap. 111. Ergo operatio non est causa delectationis.

6. Præterea. Si operatio esset causa delectationis, similiter se haberent ad delectationem qui similiter se habent ad operationem. Sed aliqui qui similiter operantur, non similiter delectantur: melancholici enim minus delectantur quam sanguinei. Ergo videtur quod operatio non sit per se delectationis causa.

Sed contra est quod Philosophus dicit in VII. Eth. cap. xiiii. vel xiv. quod delectatio est operatio connaturalis habitus: nec hoc potest intelligi nisi causaliter. Ergo operatio est delectationis causa.

Præterea. Unumquodque distinguitur secundum distinctionem suæ causæ. Sed delectationes distinguuntur per distinctionem operationum, ut patet per Philosophum in X. Ethic. cap. v. Ergo operatio est delectationis causa.

Præterea. Habitus non cognoscitur nisi per operationem, vel per aliquid per operationem causatum. Sed habitus cognoscitur ex delectatione, ut dicitur II. Ethic. cap. 11. vel 111. *Signum oportet accipere habere*.

Yy bi-

(6) *Al. deest nisi.*